





BL 2807<sup>16</sup>

SERMO VERSI-  
BVS COMPRAEHENSVS  
ET HABITVS AB AMBROSIO  
LOBASSERO MAGISTRO BONARVM  
ARTIVM, CVM NOVIS MAGISTRIS  
SCOLASTICL HONORES DE-  
CERNERENTVR LIPSIAE,  
ANNO

M. D. XLIX.

HVIC ADDITA EST,  
FORMA DECLARATIONIS  
ET RENVNTIATIONIS  
ILLORVM.

LIPSIÆ  
IN OFFICINA VALENTINI  
PAPÆ.

18.





AMBROSIVS LO  
BASSERV<sup>S</sup> OPT. ARTI<sup>E</sup>  
VM MAGISTER, AMPLISS. DOMI-  
NO VLRICO MORDEISSIO IVRLS-  
CONS. EXIMIO ILLVSTRISS.  
Principis Mauricij EL. consiliario Præc,  
D. S. colendiss.  
S, D.

**S**APIENTER institutum est, uel aliter potius fiera non debuit, quām ut autoritate præcipua & legi-  
tima potestate, conuentus scolaſtici cum munirentur  
tum exornarentur, ſimul ut ſpecies horum eſſet præ-  
clarior & auguſtior, ſimul etiam ut ordo conſerua-  
retur, neceſſarius ad diuturnitatem omnium communitatum, quas  
diſſipari & euerti ſcimus, quoties audaciæ & licentiæ improborum  
in hiſ locuſ relinquitur. Itaque ſeruatur adhuc in Academijs ubique,  
ut, quicquid geritur atque fit, id titulo Eccleſiaſtici Iuriſ, & Impe-  
ratoriæ Maieſtatiſ confirmetur atq; ſtabiliatur. Cum autem in primis  
& utilitas instituti huius cognoscatur, & decus emineat, in collatio-  
niuſ honorum & dignitatiſ ſcolaſtice, quando aliqui petenteſ di-  
gni iudicantur, qui & inſignibus quibusdam doctriṇe augeantur,  
& honeſtate nominis illuſtrentur, & accipient præmia ſtudij & in-  
dustriæ ſuæ, quibꝫque iam quaſi prouinciae dantur, colendæ uirtu-  
tis & excercendarum artiuſ bonarum, & profitendi philoſophi-  
am: Tum igitur iſ cuius animaduertiſionī & curæ commiſſa eſt conſer-  
uatio & reſpectuſ Rei ſcolaſtice in aliqua Academia, ſuam uicem, ſi  
iþſe præſens eſſe non poſteſt, committere alteri & delegare conſue-  
uit. Quod munus cum mihi tributum nuper iterum fuſſet, et pete-  
rent titulum ſcolaſtici Magiſterij, adolescentes aliquot, ſanē cum bo-  
ni ac pudentes, tum diligenter et ſedulō uersati in ſtudijs liberalium  
disciplinarum, id quod laudabiliter probarunt in examine reſponsi-  
onibus ſuis: Ego nescio quo afflatu poëta repentinus, & cupiditate

A 2 quadam

quadam nostrorum studiorum incensus, & honori futurorum Magistrorum inseruire studens, ut ille actus grandior quodammodo, aut minus saltem humilis uideretur, Composui uersus quosdam, qui à me solennis de more habendæ orationis pronuntiarentur. Placuit autem à consuetudine non recedere, tametsi genus hoc sua natura liberum, quidlibet audendi potestatem mihi concedere uideretur. Itaque & quædam quamvis numeris & carmine efferantur, tamen sermone pedestri procedere reperientur, Et in nonnullis inculcatione quadam nominum nostratum & rituum præsentium, Latinæ linguae proprietatem & decus non potuimus tueri. Sed qualiacunque hæc sint, Tibi V. C L. qui significabas te ijs quæ audiasses, cum quidem negotijs Reip. impeditus, aduenisses paulò serius, admodum delectatum fuisse, & requirebas ad legendum, publicè transmittere uolui, simul ut quanti facerem iudicium approbationis tuæ ostenderem, simul etiam ut alijs quibusdam qui cupere se edi hæc significassent, gratificaremur. Addita est & declarationis atque renuntiationis forma, et oratiūcula habita à M. Donato Zolnero M. Rectore nostro, breuis illa quidem, sed non indigna lectione studiosorum literarū bonarum. Cætera autem omissa nunc sunt, quod, quoniam, ut scis, subitò occasio mihi hinc migrandi ad CL. April. oblata fuit, ego hic me adhuc præsente ista edi uellem, quibus tam in breui temporis spacio pluriū elaboratio adiungi non potuit. Tu ualebis, & meam exi-  
stimationem ac spem de pr. hum. T. boni consules, &  
hos conatus nostros defendes contra arro-  
siunculas inuidorum & maleuolorum,  
si qui tamen erunt, qui hæc tam  
parua impetere non dedi-  
gnabuntur. Vale Id.  
April.

Cœlestes





O Elestes sophiæ thesauros carmine  
pando,  
Atq; omni melius donum mortali-  
bus auro  
A quo censemur nostræ præstantia  
mentis

Concessum à superis, uos aspirate canenti,  
Et mea per uestras deducite carmina laudes  
Musæ Tespiades, non hæc indebita posco:  
Nam uobis tenuis nostræ præconia uocis  
A me donantur, uestra hæc sunt munera, uestrum  
In mundo clarum fulget sapientia donum.

Vos autem, nostri qui confluxistis honoris  
Caussa, pectoribus totis linguisque fauentes  
Ingenium uestris studijs accendite nostrum.  
Auribus his etenim dignam talique theatro  
Elegi caussam, & graue uersibus argumentum  
Tractandum nostris: non qualis sœpe poetas  
Fabula ludentes exerceat, non mihi quondam  
Herculeis manibus dicentur monstra subacta,  
Non Hecates raptus, lachrimæ, questusque parentis,  
Non ad Cadmeas fratum certamina Thebas,  
Non fera seditio, non bella minæq; Gigantum  
In superos, manibus magno uelut aggere montes  
Aequantum cœlo, diuum trepidante cohorte,  
Hac se materia, uanóque labore fatigent  
Quorum delectat tantum res ludicra corda,  
Qui possunt etiam nugis puerilibus aures  
Donare, atque oculos mimo præbere procaci,  
At mihi propositum est humani pangere uersu  
Laudes ingenij, uarijs Deus ipse Deus quod  
Artibus instruxit, uerum uirtutis amorem

A 3 Desu-

De super infundens & puri luminis astro  
Accendens, illi diuinæ particulam auræ  
Inspirans. uerum prius hic exordia rerum  
Atque opus immensum mundi repetetur ab alto.

Principiò dextra magna uerbóque potenti  
Aeternus summusque Deus formauit Olympum  
Ornatum stellis, positu quæ mille figuræ  
Ostendunt cœlo spectandas nocte serena.  
Ex his quinque uago motu quæ semper aguntur,  
Atque sua terras lustrantem lampade Phœbum,  
Et spatijs certis reparantem cornua Lunam  
Orbibus infixit proprijs, qui motibus annos  
Menses atque dies & certo tempora cursu  
Dinumerant, æstus hi secum, frigora secum  
Temperiémque ferunt, quibus omnia corpora uitam  
Exortusque suos debent, hinc ille sacrati  
Ingenij uigor est: O quanta potentia cœli  
Summi quanta Dei uis est qui talia fecit.

Post hac formatam terram grauitate deorsum  
Mersit & in medio iussit subsidere mundo  
Calcandam pedibus nostris, qua partibus extat  
Densior illa suis: nam cætera frigidus humor  
Irrigat & latas terræ complectitur oras  
Littoribus curuis extensus & undique ripis  
Diffusus, sed utrumque globum prope circuit aér  
Aëra quin etiam constringit lucida flamma  
Quæ leuitate sua tangit loca concava Lunæ.

Sic ubi disposuit stellas, elementaque mundi  
Diduxit, pulchro distinguens ordine cuncta:  
Tum uolucres rapidis suspendit in aëre pennis,  
Altaque squamosos demersit in æquora pisces.

Præterea formis uarijs animalia terris  
Imposuit, pastumque dedit uictumq; perennem

Fructibus

Fructibus atque herbis illis seruire paratis:  
His quoq; diuersos Deus inspirauit odores,  
Et uiires tribuit medicas, ut languida morbis  
Corpora sanarent humanis usibus aptæ.  
Ipsa sed ingenti rerum discrimine bruta  
Secreuit pater omnipotens, hæc mole diremit  
Corporis, illa sono, quædam feritate notauit  
Immani, quædam contra mansueta reliquit:  
Pellibus hæc texit cum molli uellere pilii,  
His rigidis sepsit horrentia corpora fetis,  
His duros dentes, uncos his addidit unguies,  
Illis aduersas saeuia ad certamina frontes  
Armauit, uirésque dedit quo tristia damna  
Horridaque à membris arcere pericula possent.

Ast hominem solum produxit corpore nudum  
Infirmumque Deus, soli non addidit arma,  
Nutricum non lacte modo & non matris egentem  
Auxilio tantum, sed uiribus omnibus orbum  
Effinxit, terras molli uix calce prementem  
Post annos aliquot, præmansis tempore multo  
Esis utentem, lachrimis fletuq; notantem  
Auspicium miseræ tristisque incommoda uitæ.

Hactenus inferior longè peiorque relicta est  
Conditio humanæ naturæ: at cuncta supremus  
Iuppiter ingenij & rationis dote rependit.  
Namque hominum uarias instruxit corda per artes  
Ingeniumq; capax sua quod simulacra referret  
Indidit ut posset caussas penetrare remotas  
Rerum naturæ, fontesq; aperire latentes. (sortis

Hoc opus est hominis, nostræ hæc sunt munia  
Cumq; alia aspiciant animalia cuncta deorsum  
Ad terram & pronis oculis sua grama quærant  
Ut possint saltem uitam producere inertem,

Humanos

Humanos uultus aduersos conditor alto  
Opposuit cœlo, superásque erexit in auras  
Aethera spectantes & lucida sydera cœli.

Huc animos etiam terrena fece carentes  
Corporis inclusos uinclis & carcere cæco  
Eniti & priscas sedes patriamque priorem  
Quo possent pacto uel parte reuifere iussit  
Ille opifex rerum, sic inclarescere nobis  
Se cupiens, pandens rerum miracula tanta  
Tantaque recludens uastī mysteria mundi.

Omnibus ergo Deus, manibus quæcunque creauit  
Sanctius hoc animal & mente potentius alta  
Formauit, latum cui scepta gerenda per orbem  
Imperiūmque dedit firmum & parere coegit  
Omnia quæ tellus quæ denique pontus & aér  
Sustinet, & uasto quæcunque fouentur in orbe  
Omnia subiectiensi illi pecudésque ferásque,  
Ligna, herbas, lapides, gemmas, preciosa metalla  
Et pictas uolucres, piscesque & grandia cete.

Non tamen hæc uiles tantum concessit in usus  
Mortalis uitæ, sed ab his nos discere rebus  
Atque his naturis uoluit sublimia mente  
Eruere & cœli paulatim scandere regna  
Ingenio, & factis se nos cognoscere regem  
Et uerum artificem mirè qui condiderit res  
Omnes contentas cœlo terraque marique.

Sustulit hæc animos hominum admiratio rerum  
Mouit & illarum ueras perquirere cauſas  
Vnde hominum genus, & quæ sit natura creatis  
Rebus, & effectus qui cauſas quásque sequantur,  
Quæ uis impellat cœlos, & sydera certis  
Legibus, æterno constantique ordine uerset.

Hinc sese in uarias findit sapientia ſectas

Quarum

Quarum præcipuæ & longè diuersa tenentes  
Dogmata non paucis torserunt pectora quondam.

Nam quidam cunctis in rebus constituentibus  
Fortunam dominam ac casum qui cuncta gubernet,  
Cuius & ad nutum sint omnia facta cadantque:  
Nil uel naturæ cauissimis superisue relinquunt,  
Quos cura expertes alto languere ueterno  
Tradunt & solo hoc fœlices atque beatos.

Sed quorum melior sedit sententia cordi  
Esse aliquam mentem, cœlestem, cunctipotentem  
Aeternamque docent, cui sint mortalia curæ:  
Quæ mortale genus propenso numine seruet,  
Respiciatque hominum res tristes atque labores,  
Arbitrioque suo quæ res moueatque regatque,  
Quæ sit inexhaustus fons rerum & cauilla perennis.

Hæc quondam anxietas & contemplatio torsit  
Gallorum Druidas, Indorum Gymnosophistas,  
Persarumque Magos, Chaldæos sydera cœli  
Ante alias summa cura studioraque notantes:  
Inde sacerdotes Aegypti, siue prophetas,  
Græcorumque sophos, Rhomanorum sapientes  
Nomine dissimiles res materialisque professos  
Non ita diuersas, studium namque omnibus unum  
Hoc fuit ac tales habuit sapientia metas  
Ipsi propositas, quo rerum exordia possent  
Factoremque Deum fugientem lumina nostri  
Conspectus, acie saltem cognoscere mentis  
Per res quæ nostris mortalibus aspiciendæ  
Sunt oculis, etenim Deus hæc dedit organa nobis  
Discendi cauilla & stellas motusque tuendi  
Cœlestes, ueluti constat sensisse Platonem.

Fœlices igitur quibus hæc cognoscere mentemque  
Eripere euinclis terreni corporis, atque

B Ingenij

Ingenij passu cœli descendere templa  
Cura fuit, non res, non uis humana profecto  
Ista fuit, uerum prestantes lumine mentis  
Natura hos inter diuos hominésque locauit  
Heroas lati rectores orbis, ab illis  
Prodita relligio primum cœtusque coacti  
Sunt hominum & sanctis firmatae legibus urbes.

Námque fuit tempus quoddam cum rura colentes  
Mortales miseri cultu uictuque ferino  
Vitam transigerent, uiolento cuncta gerentes  
Robore, ceu pecudes & quos agit effera cordis  
Sæuities, ursi, pardi, toruique leones,  
Atque lupi à quibus effinxere Lycaonas olim  
Vates, atque hominū sœua atque immania monstra.  
Non tunc connubium, nec erant tunc pignora certa,  
Non cultus diuum, nec relligionis honores  
Florebant, non mos, non ius, non ulla uigebat  
Lex, æqui nullum fuit & discrimin iniqui:  
Sed quicquid rabies, furor, aut insana uoluntas  
Iusserat, hoc æquum, iustum, fuit atque decorum.

Tempore quo sapiens, quoddā ceu numen ab alto  
Demissus, postquam tantam rationis ad omnes  
Res aptam egregias uim perspexisset inesse  
Mentibus humanis, homines perduxit in unum  
Contraxitque locum, raptos ceu flumine dulci  
Eloquio & rerum persuasos utilitate  
Paulatim hos docuit ueteri ueritate relicta  
Mítibus ingenij mansuetam degere uitam.

Sic ergo hos statuit cœtus urbésque uocauit  
Illos conuentus, firmo quos iure ligatos  
Et legum uinclis constrictos, atque minaci  
Voce magistratus nulli sine iure nocere  
Permisit, uerum iustumq; bonumq; tueri

Iussit,

Iussit, & in uita tota rebusq; gerendis  
Publica priuatis præponere commoda rebus,  
Atque fidem colere & promte sua reddere iura  
Cuilibet, officio sic & ratione iubente:  
Efficere ut quicquid non unus posset & alter  
Viribus atq; operis, id quô per mutua iunctis  
Multi præstarent, ut opis nullius egena  
Vita foret, quin cum non omnes omnia soli  
Possimus, tamen hæc possemus ut omnia iuncti  
Dum qui deficiat, semper uicina requirat  
Auxilia, & rebus succurrat proximus arctis.

Hoc uitæ uinclum est, hæc est coniunctio nostri  
Conuictus, hæc nos omnes collegit in unum  
Caussa locum, tanquam cœlesti uoce uocatos  
Prudentis magnique uiri, qui singula rerum  
Momenta expendens ciuiles ordine certo  
Res statuit, pulchrè distinguens munera uitæ:  
Hos regnare iubens, ast illos iussa subire,  
Atque magistratus decreta facessere cogens.

Sed nondum planè mortalia pectora labem  
Exuere & priscum deponere corda furorem  
Atque minas poterant, non uis, non ulla potestas  
Stringebat rabiem, superante libidine leges.  
Hos igitur cernens superum terrore regendos  
Vir sapiens, diuos monstrauit & esse timendos  
Præcepit (noménque Deo fuit inde petitum)  
Quem docuit certa ratione modóque colendum  
Ultorem scelerum, iustum, qui crimina dignis  
Non solum poenis uerum & benefacta rependat  
Mercede ingenti. & ne longè exempla petamus:  
Talibus auspicijs etenim pulcherrima Roma  
Cœpta atque aucta fuit: namq; illam Romulus urbem  
Legibus ornauit primum ac fundauit, & inde

B 2 Iura

Iura dedit cunctos populo seruanda per annos.

Post hunc Pompilius Ceretum de gente profectus  
Is cui sacratae tribuerunt nomina leges,  
Illi succedens, quo non vir iustior alter,  
Ritus sacrorum populo cultusque Deorum  
Instituit, falsos licet hos errore prophano  
Illiūs aetatis ualidos tamen atque potentes  
Qui possent animos hominum frenare feroce  
Militiae assuetos, spacij patrījsq; profectos  
Vndique diuersis, ceu quos de rure coactos  
Vrbibus inclusit vir prouidus atque disertus.  
Atque ut Mercurium taceam, tēque Orpheo, quorū  
Eloquio dulci & prudenti pectoris astu  
Compulsi primum struxerunt mœnia gentes.  
Nec referam qui nos nosmet cognoscere primum  
Iussit qui ueram summo deduxit Olympo  
Doctrinam morum, cultusque inuexit in urbes  
Atque domos, sanctas scribens in pectore leges.  
Quid dicam sanctum Mosen aliōsque prophetas?  
Quorum cœlestis rexit sapientia mentes?  
Non fuit hoc illis studium? non omnibus illud  
Consilium? ut populi mores moderamine certo  
Dirigerent, rectæ monstrantes commoda uitæ,  
Atque modum certum quo nobis tempore cuncto  
Rebus in humanis iustumque piūmque tenere  
Non ui non armis cuiquam nec fraude nocere,  
Sed recti officij fines seruare liceret,  
Quo nihil in toto melius nec pulchrius orbe:  
Ipse suo clarus non sic nitet Hesperus ortu,  
Non etiam fulget tam puro lumine Titan  
Linquens mane nouo radijs fulgentibus undas.  
O urbes igitur foelices atque beatas  
Quas sibi commissas sapiens regit atque gubernat:

Aut

Aut qui sceptrā gerit rebus propensus honestis  
Hīs studijs quantum licitum est contendere mente  
Inuigilat, quibus extremus sapientia finis  
Metāque proposita est, ad quam contendere cursu  
Vos decet & totas animi depromere uires :  
Non ut communes tantum disponere recte  
Res liceat, uerum priuatam degere uitam  
Possitis placidam, non ui non lege coacti,  
Sed quo uos faciles deducit prona uoluntas.  
Hoc etenim nobis talis sapientia prestat,  
Quæ fines hominis, fontesque inquirit honesti:  
Ut quod mortales alij formidine pœnæ  
Impulsi faciunt, hoc nos uirtutis amore  
Ulro prestantes re delectemur honesta.  
Nam recti ratio studijs exculta frequenter  
Per se flagitijs blandæque libidinis hostis  
Affectus omnes animi saeuosque dolores  
Compescens, placidoque rudes moderamine mores  
Componens, nobis lex est certissima uitæ,  
Et nos ad ueram deducens regula laudem.  
Quam tibi si firmo proponas corde tenendam  
Rebus in aduersis si mens tua fracta fatiscit  
Aut lætis turget, medium seruare modumque  
Inter utramque potes sortem, te namque coercens  
Utrique extremis, constringes uela secundo  
Flamine, & aduersis uteris remige uentis.  
Si leuis ambitio & populari nixa fauore  
Gloria sublimi succedit pectora fastu,  
Hic facilis morbo tali medicina parata est:  
Feruet amore iecur, sunt hic solatia amoris,  
Sunt precepta quibus possis restinguereflammam :  
Sentis auariciam & cura torqueris habendi  
Aptam materiam luxus conamine multo

Diuitias quærens ne quis sit ditior alter  
Cuius constructis nummis tam splendeat arca,  
Aut mensa appositis uarijs & dulcibus escis,  
Aut auro niteat, licet hinc cognoscere nostram  
Naturam paucis contentam spernere magnos  
Sumitus, atque epulis modicè gaudere paratis.

Sí breuiter toto quæcunque adamantur in orbe  
Te capiunt specie uralde applaudentia falsa,  
Hinc cuncta addisces uani ludibria mundi,  
Et tantum folijs esse assimulata caducis.  
Virtutem solam uero splendore nitentem  
Ad uitam nobis rectam & conferre beatam:  
Nullis obiectam uentis nullisue procellis  
Fortunæ, stabili suffultam robore mentis,  
Et se contentam, porro non poscere uitæ  
Præsidium instabilis fortunæ aut corporis ullum.

Hi sunt thesauri quos hæc sapientia iactat,  
Et bona certa quibus se uenditat illa, decūsque  
Hoc ingens, hæc est hominum præstantia mentis,  
Qui rerum caussas naturæ altosque recessus  
Exquirunt studijs peruestigantque labore.  
Ut non commemorem quæ cætera commoda uitæ  
Hinc ueniant & quam sit in his immensa uoluptas  
Artibus ac studijs. quis enim non quæso fatetur?  
Quam sit iucundum cognoscere quamque suave,  
Quo sint quæque modo res ortæ, quoque uicissim  
Labantur tandem naturæ lege iubente.  
Ut calefacta suo complectens semina terra  
In gremio primum uiridanti germine plantam  
Eliciat, fibris nixam, mox caule rotundo  
Erigat ac demum fragranti flore coronet.  
Vnde niues, pluviæ, rores, canæq; pruinæ  
Et raræ nubes & cœli discolor arcus,

Ac

Ac rapidi uenti, & metuendo crine Cometæ.  
Cætera ne dicam cœlo spectanda marique,  
Quæque uel in terra uel sub tellure uidenda  
Noscendi mira capiunt dulcedine mentes.

Quò magis hos laudo, qui tantas pectore curas  
Suscipiunt & res tantas cognoscere tentant:  
Quos certum est supra mortalem conditionem  
Altius ingenij prouectos uiribus, omnes  
Tantum alios homines doctrinæ uincere laude,  
Quantum mortales animalia cætera uincunt.  
In quorum numero merito comprehendimus illos  
Quos iuuenes summis titulis hoc tempore dignos  
Ingentis ueluti doctrinæ dona merentes  
Candida iudicij nostri censura probauit.  
Quorum nunc quantum dabitur comprehendere uersu,  
Nomina cum patria & generis cognomina dicam:  
Quandoquidem ritus hoc poscit norma uetus*isti*,  
Exigit & iuris ratio, ut distincta notentur  
Nomina cum genere & patria, quibus addit honorū  
Publica promeritos titulos cultura scolarum.  
Hæc etsi sunt dura sonis, & uoce molesta  
Auribus externis (si quis legat ista) futura:  
Nos tamen exposuisse iuuet, ueniāmque precata  
Pieris extremum hunc etiam mea concinat actum.  
Primus Matthias ueniens de gente Borussa  
Schumannus proprio generis cognomine dictus.  
Proxima post primum iuuenis loca Leucopetreus  
Bartholomeus habet Vuagnera è gente creatus.  
Tertius hinc sequitur matri patrique superstes  
Lazarus à longo deducens nomina campo,  
Quem tulit argento diues Ioachimica uallis.  
Quartus VVolfgangus patrō cognomine dictus  
Harderus, claro quo gaudet Lipsia partu.

Quintus

Quintus in hoc numero Gaspar de gente Boëma  
Nomē habens, hunc urbs iuuenem Stolpena creauit.  
Sextus Ioannes, tribuit cui nomen equestre  
Rennerus pater. huic orto de montibus Annæ  
Septimus assimili prenomine iungitur, Hospes  
Cui cognomentum uirtus concessit auorum,  
Cuius & agnoscit Francorum Bosphorus ortum.  
Huic se Gregorius coniungit in ordine, nostræ  
Vicinus patriæ quem Zegendorpius almo  
Lesnicio eduxit, celsæ sub monte Schnebergæ.  
Nonus ab hinc fulget Cygneæ clara propago  
Mattheus, cui si studio mutare secundam  
Cum prima liceat uocalem nomine Fleccus  
Flaccus erit Lyricos inter lux magna poetas.  
Hunc decimus sequitur patris prenomina natus  
Pfeffingerus habens, referens uirtute parentem,  
Doctrina æqualis patri & pietate futurus  
Olim si illius sic per uestigia perget:  
Quem genitor Belgræ produxit ad Albidos undas.  
Excipit Henricus decimum Brauerus, in urbe  
Nostra Lipsiaca natus. coniungitur illi  
Proximus Eusebius Vildeca ē gente uetus  
Cuius Cygneæ clarissima stemmata fulgent.  
Tertius à decimo VVagneri germine natus  
Sacrum cui posuit nomen baptisma Philippo:  
Cuius Pegauium patria est. sed proximus illum  
Tangit Ioannes Erithreus, quem Neopyrgus  
Patria progenuit. sequiturque Antonius illum  
Forstensis, patrum cui contulit amphora nomen.  
Ast hunc Andreas Gando comitatur, amicum  
Quem Spremberga uirum nobis huc misit. ab illo  
Ultimus est proprio Martinus nomine, natus  
Gorlicij, qui de Francisci uoce minuta

Frence=

Frencliaæ antiquæ prætendit nomina gentis.  
Hos ergo Ambroſius qui Lobasserus auito  
Nomine compellor, Procancellarius huius  
Gymnasij: Postquam nobis hæc munera Princeps  
Contulit Augustus, Martis dum mœnia Pyrgi  
Iustitia regeret, dux illustrissimus almæ  
Saxoniæ, pinguis quo nunc Thuringia gaudet  
Præſide, Misniacis qui Marchio regnat in oris,  
Noſtri Gymnasij Mœcenas atque Patronus:  
Hos inquam, postquam mihi nunc concessa potestas,  
Hæc quæ Pontificis fundata eſt legibus olim,  
Promoueo cunctos pariter, fierique Magistros  
Permitto ut liceat, dans illis iura docendi,  
Cunctaque ab antiquo talem ſpectantia honorem.  
Porro exercendi & gestandi insignia, quæ ſunt  
Ordinis illorum, quorum doctrina probata,  
Et uirtus meruit pretiosæ præmia palmæ:  
Ut poſſint dici Doctores atque Magistri  
In rectis ſophiæ ſtudijs, atque artibus illis  
Quas nos humanaſ merito uocitare ſolemus.

Vos porro his auctos titulis pro munere tanto  
Gymnasio noſtro sancto ceu foedere iungo,  
Illique aſtringo, cuius defendere partes  
Vos decet & nitidum ſtudijs decus addere noſtris  
Atque incrementum, lateque extendere fines  
Illorum ingenio & doctrina, In nomine Patris,  
Et Nati ſummi qui fert ſimulacula Parentis,  
Et sancti flatu de Nato & Patre fluentis,  
Secula qui regnat Deus omnia, nomine trinus

Verum diuina natura numinis unus,

A M E N.

Dixi.

C Oratio

ORATIO P O=  
STE A HABITA A M. RE  
CTORE ACADEMIAE, VT MOS  
EST, QVA CREATI DECLARA=  
TIQVE MAGISTRI HI  
FVERVNT.



AEPE AC MVLTVM, ET ORA  
TIONEM AUDIYSTIS & SCRIPTA LEGISTIS EO  
RUM, QUI ORDINEM & UIAM QUANDAM  
STUDIORUM LAUDARENT, & OSTENDERENT  
NON MODO AD DIGNITATEM ILLORUM UTI  
LE ESSE, SED AD CONSERVATIONEM OMNI  
NO NECESSARIUM, CONSTITUI QUOSDAM  
PROFESSIONUM GRADUS, UT RATIONE CERTA DOCTRINA PRO  
GREDIATUR. QUapropter hoc tempore illa INculcanda  
non putauit. Aut enim cum tædio uestro iam nota re  
petenda, aut cum periculo alia EXCOGITANDA essent,  
quorum utruncq; quoniam uitare sine reprehensione  
possimus, concedetur mihi, ni fallor, ut mihi simul  
atq; uobis parcam. Hoc tamen dicendum est. Quem  
admodum honorum & dignitatum in scolis gradus  
propter inanem pompam, & ineptias quosdam colla  
tionum necnon alia uitia, tam petentium, quam tribu  
entium irrisos aliquando fortasse non immerito fuisse  
scimus: Ita nobis qui & ornamenta & stabilimenta  
quædam bonarum artium & disciplinæ & scolaisticæ  
ADMINISTRATIONIS RETINERE CUPIMUS, diligenter esse ui  
dendum, in conferendo non modo ne inepte & ridi  
culè, sed ne perperam & male aliquid fiat. Non redi  
mi pecunia oportet hanc declarationem, ut aliquis is  
esse publicè renuncietur, qui alios docere & optimis  
præceptis

præceptis uitæ ac morum instruere debet: Non recte  
est promoueri aliquem adminiculo benevolentiae ali-  
enæ: Sed debetur hæc præstantia cum doctrinæ atq;  
eruditioni maxime, tum singulari humanitati atque  
uirtuti, tum uero in primis pietati & religioni. Quæ si  
in aliquo reperta fuerint, diligentí inquisitione eorū,  
quorum huic rei studium & industria præfici solet:  
Quis erit iam qui improbare hæc præconia, aut ge-  
stus aut actionem quandam solennem in hoc genere  
uituperare ausit? Oportet enim aliquo certo ritu qua-  
si, festiuitates istas peragi, qui si inanes sunt & fuitiles,  
iure optimo damnantur: si & speciem habent digni-  
tatis, & rationem utilitatis, nimis sunt fastidiosi ij qui  
rebus quibusdam alienis ab his temporibus atq; mori-  
bus offenduntur. Semper enim in publicis negotijs,  
quasi actus quosdam seruari necesse est. In quibus ni-  
si manifestè uitiosum aliquid insit, mutatio criminis le-  
uitatis uix potest carere. Cum autem doctissimus vir,  
qui munere & uice nunc Cancellarij fungitur, ante  
me luculento sermone, de studijs bonarum artium &  
Philosophiæ cultu uersibus differuerit, si, ut confidi-  
mus, probauit uobis, & esse rerum humanarum hoc  
decus pulcherrimum, & robur firmissimum, ij nimi-  
rum qui producti in presentia, hic in conspectu omni-  
um assunt, cum suffragia tulerint doctissimorum viro-  
rum in hac parte maximæ diligentiae & laboris & pro-  
fectus sui, fauorem & uenerationem uestram mere-  
buntur, qui profecto, neq; se in hoc discrimen famæ  
& nominis sui demittere imparati à uirtute & sapien-  
tia ausi fuissent, neq; nostra communitas, nisi doctri-  
na & humanitate eorum perspecta, hunc ijs falsò ho-  
norem haberet, ut cum potestatem profitendi bonas  
literas atque artes his tribueret, tum omni iure & auto-

C 2 ritate



ritate tanquam Magistros publicos, augeret atque extolleret. Quare si literarum & artium bonarum cognitio, si directus ad ueritatis curam animus, si probitas uitæ laudem merentur, par est ut ijs, quorum cauſſa hic conuentus habetur, & quibus à me concessio legitimæ autoritatis, & huius gradus sublimitas, & Magisterij preſtantia, confirmanda eſt, à uobis & amentur & magnifiant, & defendantur & obſeruentur. Sed hoc etiam ipſi facile consequentur officijs humanitatis ſuæ, & in profefſione artium bonarum industria, & affiduitate & fide. Nos autem quod ſupereſt, exequamur, & quaſi extremam manum huic operi imponamus. Mea enim eſt hec curationio quam publico Communitatis ſtudij bonarum artium nomine uertineo & gero. quoniam post examen acre & ſeuerum, in quo inuenti ſunt digni testimonio preclaro iudicij nostri, nunc producti in publicum, autoritate potestatis legitimæ, confeſſionem fuerunt adepti, ut Magistros fieri crearique liceat. Ideo ſimul ipſorum honoris cauſſa, & ut premia debita, ingenij & ſtudij & induſtriæ contentiōnibus, fideliter perſoluantur, et exemplo, ut adolescentia ad ſimiles honestatis conatus incitetur, ſtudium & opera mea, id quod reſtat perficiet. Quapropter uos qui coram nobis hic apparetis, & de quibus iamdudum uerba fiunt: Accedite proprius, & hunc editiorem locum, uobis preparatum conſcendite, ut ijs obſeruatis, quæ more maiorum obſeruari ſolent, ita Renunciemini Magistri optimarum disciplinarum atque artium, & hanc profefſionem exercere confidenter poſſitis.

Ascen-



## ASCENDITE.

Ac primum, hanc Cathedram assignatam publicæ doctrinæ professoribus, nunc uobiscum communico, & in horum numerum atque ordinem uos aggregando refero, ut exæquari aliorum omnium excellentiæ uos sciatis, & operam detis, ut splendorem loci huius tueri atque conseruare possitis.

Secundo, Violaceæ purpuræ flore redimita capita uestra, uobis imponens hos pileos, exorno, ut memineritis quasi imperij cuiusdam insignia uos deinceps gesturos esse, non belli sæpe uituperabilem, sed bonarum artium semper laudabilem certaminum, & hunc cultum regni contemplantes, cauebitis ne ulla turpitudine, aut leuitate, aut probro conditionem uestram contaminetis.

Tertio, uestris digitis adiungens annulos aureos, hos gestandi uobis ius tribuo: Cuius ornamenti consideratio ad similem curam commouere debet animos uestros, eius de quo paulò ante dixi dignitatis & honestatis conseruandæ.

Quarto, trado singulis librum continentem monumenta ingenij & doctrinæ sapientissimorum ueterum: Quem quidem accipitis clausum, ut cogitatibus occulta & abstrusa esse precepta sapientiæ, & uestro labore indies magis magisque exquirenda: Ideoque & aperire unumquenque librum suum uolo. aperite libros. Neç uos tantum uobis illa uestigabitis, sed quasi uenationem opimam alijs quoque discendi cupidis impertiri non dubitabitis.

Atque nunc his peractis, Quod ad honorem æterni Dei Patris Saluatoris nostri Iesu Christi fiat, & augeat atq; ornet pias & religiosas communites Scolasticas.

C 3 Ego

Ego Donatus Zolnerus Camicianus, bonarum  
artium Magister, Academiae huius celeberrimae Re-  
ctor, publica autoritate qua fungor;

Matthiam Schumannum Toronensem

Bartholomeum Vuagnerum Vueissenfelsensem

Lazarum Lengenfelder Vallensem

Vuolfgangum Harder Lipzensem

Casparum Boënum Stolpensem

Ioannem Rennerum Annabergensem

Ioannem Vuirt Ochsenfartensem

Gregorium Zechendorfer Lesnizensem

Te Matthiam Fleckum Zuuicauensem

Ioannem Pfeffingerum Belgeranum

Henricum Brauerum Lipzensem

Eusebium Vuildeck Zuuicauensem

Philippum Vuagnerum Pegauensem

Ioannem Roth Neumburgensem

Antonium Kruger Forstensem

Andream Gando Sprembergensem

Martinum Frentzel Gorlizensem

Vos inquam uniuersos & singulos Ego optimarum  
disciplinarum atque artium & totius Philosophiae Do-  
ctores facio & creo, Magistrorum esse publicè hic pro-  
nuntio: Et confero uobis ius ac potestatem exercendi  
loco uestro scolaistica munera, disputandi, prælegen-  
di, instituendi, & quicquid Magistris artium optimo  
iure conuenit, tam apud nos, quam alibi ubique  
locorum.

Quam potestatem & dignitatem, nunc (quod  
Reipublicæ & Vniuersitati in primis scolaisticae, &  
ordini nostro, uobisque singulatim bene & feliciter  
eueniat) à me accipite, in nomine Patris, & Filij, &  
Spiritus sancti, Amen.

Iam

Iam uero, ut hanc quasi prouinciam doctrinæ capessere uos, omnibus planum faciatis, simûlque ut de-claretis eruditionem uestram, Age, ordiatur secundus ordine inter uos Magister Bartholomeus Vuagnerus Vueissenfelsensis legere librum Aristotelis Ethico-rum, nomine aliorum omnium.

Sed quia hæc initia tantum esse debent professio-nis uestræ, Ideo, præsertim iam tam longo tempore consumto, finem tandem facere par fuerit, ut his re-bus ultimus quasi actus imponatur, quem æquum est complecti Gratiarum actionem. Has igi-tur partes sumat atque agat Magi-ster Ioannes Rotha Neum-burgensis ordine deci-mus quartus.



18. Nov 1996

Nr 1217



TA → OL



B.I.G.



EL 2807<sup>16</sup>

SERMO VERSI-  
BVS COMPRAEHENSVS  
ET HABITVS AB AMBROSIO  
LOBASSERO MAGISTRO BONARVM  
ARTIVM, CVM NOVIS MAGISTRIS  
SCOLASTICL HONORES DE-  
CERNERENTVR LIPSIAE,  
ANNO

M. D. XLIX.

HVIC ADDITA EST,  
FORMA DECLARATIONIS  
ET RENVNTIATIONIS  
ILLORVM.

LIPSIAE  
IN OFFICINA VALENTINI  
PAPAE.

18.